

torfinae Senioris, utriusque Academiae ornamenti. In tres vero partes dispescitur, partibus singulis in forma, quam quartam vocant, exscriptis. Prima continet emblemata, quibus utuntur typographi in Germania, in fronte librorum suorum, collecta anno Christi MDCX. Secunda pars exhibet emblemata typographorum Gallorum; & tertia denique, quibus typographi in Italia utuntur. Prima CCCLXXVII l. secunda CXXX. tertia CLXXV. paginis constat. Describuntur signa typographica eo ordine, quem fors cuique obtulit, ne vero evolventis desiderium decipiat, index typographorum, secundum alphabethi literas nominatorum, praemissus est. Enarratur primum, quas imagines emblema prae se ferat. Saepeissime id ex libris exscissum comparet, aliquando calamo auctoris scriptorio delineatum cernitur. Sequuntur deinde explicationes, meris epigrammatibus constantes, quae tum ipsi ROETENBECCIO, tum aliis scriptoribus celebrioribus debentur. Ut itaque opus hoc & pictorum & poëtarum flores simul exhibeat. Licet id ipsum a TUO, ROTH-SCHOLTZI, instituto iterum quam maxime differat, quandoquidem ea tantum typographorum insignia in medium profert, quae inter emblemata locum habent, aliis aliorum generum signis plane omissis.

Quae cum ita sint, egregium certe institutum est, quod ita perficis, Vir humanissime. Dignum quoque est argumentum, in quo illustrando opera Tua occupatur. Multum juvat hominem literis deditum, libros quoscunque hujus vel illius officinae a se invicem dignoscere posse. Itaque notas variarum officinarum nosse opus est. Praestat una editio auctoris alicujus alteri editioni. Typi fusiles, quibus